



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Quæst. 1. Quæ præcipua Eucharistiæ nomina?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834



TRACTATUS QUARTUS.

DE

SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

*Nomen, essentia, dignitas, ac definitio
Sacramenti Eucharistiae.*

Quæst. I. **Q**UIBUS NAM præcipuis non
minibus insignitur Eucharistia
Sacramentum?

D. Th. 3. p. q. 73. art. 4. Resp. Hoc Sacramentum, ait Divus Thomæ, habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum Dominica Passionis, qua fuit verum Sacrificium; & secundum hoc nominatur SACRIFICIUM. Aliam autem significationem habet respectu rei presentis, scilicet Ecclesiastica unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum; & secundum hoc nominatur COMMUNIO seu synaxis. Dicit enim Damascenus 4. lib. de fide Orthodoxa cap. 14. quod dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christi, & quia participamus de ejus carne & Deitate, & quia communicamur & unimur ad invicem per eum. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacra-

De Sacramento Euchar. Cap. I. 127

mentum est prefigurativum fruitionis Dei,
qua erit in patria; & secundum hoc dicitur
VIATICUM; quia hic præbet nobis viam
illuc perveniendi; & secundum hoc etiam di-
citur **EUCHARISTIA**, id est, bona gra-
tia, quia gratia Dei vita æterna, dicitur Rom.
6. vel quia realiter continet Christum qui est
plenus gratiæ. Dicitur etiam in Graco Meta-
lepsis, id est, *assumptio*, quia, ut Damasce-
nus dicit, per hoc Filii Deitatem assumimus.

Secundam ejus significationem innuit Apo-
tolus, cùm ait: *Quoniam unus Panis, unum* 1. ad Corin-
Corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane th. v. 10. c.
participamus. 17.

Dicitur etiam in Catechismo Concilii Tri-
deatini, *Sacramentum pacis & charitatis*; ut p. 1. De Eu-
char. Sacramen-
tu. 4.
intelligeremus, quām indigni sunt Christia-
no nomine, qui inimicitias exercent; odiaque,
dissidia, & discordias, ut tēterrīmas Fide-
lium pestes omnīnō exterminandas esse, cùm
præsertim quotidiano Religionis nostra sacri-
cio, nihil nos studiosius servare, quām pa-
cem & charitatem profiteamur.

*Quest. 2. Eucharistia est-ne Sacra-
mentum?*

Resp. Est de fide, Eucharistiam esse Sacra-
mentum, cùm id definitum fuerit in Concilio
Lateranensi sub Innocentio III. in cap. Firmi-
ter. *De summa Trinitate.* Et cap. 1. & 2.
fess. 13. Conc. Trident. & ut ait sanctus Anto-
ninus; *Eucharistia est maximum Sacra-
mentum quoad essentiam, licet quādam alia di-* S. Ant. 3. p.
cantur majora secundūm alios respectus; unde tit. 14. c. 124
versus: Major in effectu Baptismus: Corpus in princ.
in esse: Conjugium signo majus, sed Chrisma
Ministro.

Quest. 3. Quid est Eucharistia?

Resp. Est novæ legis Sacramentum continens

F. iiii